



Svmma Juris Canonici

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,
pertinent

Sive Antinomia Ivris Pontificii Et Cæsarei - per CCL. Differentias plurium
Doctorum auctoritate probatas, singulari studio in certas classes reducta,
discussa, & explicata

Strein, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1658

XXI. Differentia 6. Secundùm Canones ædificium factum in solo alterius de
pecunia Ecclesiæ, trahit ad se dominium soli favore Ecclesiæ, & sic
ædificium cedit pecuniæ,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61864)

Secundum Canones aedificium factum in solo alterius de pecunia Ecclesie, non habet ad se dominium soli favore Ecclesie, & sic aedificium cedit pecunia, & apostolicos 12. q. 2. Secundum leges vero aedificium semper cedit solo, excipitur aedificium pecunia Ecclesie extructum, l. Redemptoris, π. de rei vendic. Inst. de rer. divis. §. Cum in suo. Ioann. Bapt. à S. Blasio 36.

I. Iuris civilis manifesta sententia est, in §. citato. Cum in suo solo aliquis ex aliena materia aedificaverit, ipse intelligitur dominus aedificii, quia omne, quod solo inaedificatur, solo cedit: idque jure naturali, l. Adeo quidem, §. Cum in suo, ff. de acquir. rer. dom. Non loquitur autem de translatiis aedificiis, quae de loco in locum transferri possunt, & solent per partes, sed de iis, quae fixa sunt, soloque inhaerent. Solum enim firmamentum est à Deo creatum, sine quo nullum aedificium consistere potest. Et hoc Jus naturale acquirendi dominii Imperatores appellant, l. 5. Si is, contra quem, C. de aedific. priv. Solum alicujus proprium ceterum, quamvis proprietatem tantum habeat, usufructu apud alium consistente. Item, si mihi & alteri solum est commune: secus, si solum omnibus sit commune. Tunc enim solum aedificio cedit, quia primo occupanti conceditur, v. Mynstinger in §. Cum in suo solo, Inst. de rer. divis. l. holo. l. 20. c. 9. n. 7.

II. Quod Jus Canonicum aedificii, Gloss. inc. cit. Apostolicos, posita quaestione. Quid si clericus de peculio Ecclesie proprio solo aedificet, an aedificium cedat? respondet, in favorem Ecclesie solum aedificio cedere, c. Quis non, q. 4. & hoc est speciale in Ecclesia, ut comparata ex bonis Ecclesie statim in Ecclesia, c. 1. de pecul. cler. & c. Si quis, Sed quo modo speciale, si idem privilegium militi tribuitur? l. Si ut proprium, de rei vendic. Pupillo l. 3. C. Arbitrium, Item uxori, l. Vxor marito, ff. de donat. vir. & uxorem. In quibus omnibus determinatum est, empti comparataque militis, vel pupillorum, vel militum uxoris, ab iisdem ut sua vindicari possunt. An forte, si in alieno solo aedificium extructum ipsorum pecunia fuerit, aedificium, pupillo, militi, &c. aedificium non verò solum ipsum cedit? Hoc admisso evidens differentia erit, secus obscura, & incerta.